

RODOLPHI AGRICOLAE
 IN MORTEM
MAURICII COMITIS SPEGELBERGI
 EPICEDION.

Phoebe, veni nigra crines umbrante cupresso,
 Neve manu citharam sertave fonte geras;
 Et tibi dulcisono crepitu sint carmina longe,
 Proferat ex habitu se facieque dolor.
 5 Tristis ades, comitem te tristibus advoco sacris,
 Vatis ut officio funera flenda colas.
 Vos quoque, Pierides, Heliconia turba, sorores,
 Huc et cum moesto iungite fratre gradum,
 Vos quoque, si fas est turbari lumina fletu
 10 Divûm, si lacrimas vester habetque dolor,
 Famaque non vana est, quod fleverit Orphea mater,
 Membra videns Thressas spargere rapta nurus,
 Candida iam manibus contundite pectora, iamque
 Tingite purpureas rore cadente genas.
 15 Ille pius vates et toto pectore vester
 Mauricius cultor, vester alumnus obit;
 Horrida nec timuit tam clarum tangere nomen,
 Nec nos luctificis mors agitare modis.
 Atque tot annorum studio curaue paratus
 20 Ingenii torrens aureus ille perit;
 Aret et Aoniis deductus fontibus amnis
 Fusaue Germano Castalis unda solo,
 Quam primus nostris potandam sinibus ille
 Intulit, ignoto pectora fonte rigans.
 25 Non illum probitas, non laus insignis avorum,
 Non tuitus vestri est nominis altus honor.
 Cuncta iacent, rapido mors omnia subruit ictu,
 Et decus et titulos paucula claudit humus.
 Quis vestram tanto famam iam tollet honore
 30 Gentibus Arctois carmina docta ferens?
 Eripiet mortî quis nomina clara, quis actam
 Post vitam tribuet vivere posse viros?
 Scilicet id metuens Lachesis fera funere clausit
 Os, quod functorum vita futura fuit,
 35 Os, quod debuerat multis dare secula famae,

Mortis et angusto claudere sine manus.
 Ergo agite officio tumultum celebrate dolentes,
 Cum planetu lacrimae cum gemituque fluant.
 Sic ego, quum subito mortali pulchrior ere,
 40 Voceque visa mihi prorsus adesse dea;
 Calliope puto erat, stringebat laurea crinem,
 Vox quoque, quae silvas saxa trahatque, fuit.
 Haec ait: O nimium moesto confuse dolore,
 Duraque dilecto funere fata gemens:
 45 Nil est quod mortem culpes vel fata, nec unquam
 Ausa foret sacrum tangere Parca caput;
 Quin cupiit Lachesis stamen producere vitae
 Et nova defectis vellera nere colis,
 Quippe memor, manes ut quondam accesserit Orpheus,
 50 Solverit et mortis ferrea claustra lyra,
 Eurydicenque suam modulato carmine poscens
 Ceperit ah! fallens, irrita merces, iter.
 Sic quoque nunc timuit, mortis ne vincula cantus¹⁾
 Frangeret hic cupiens rursus adire Ditem,
 55 Fortius et pro se faceret, pro coniuge fecit
 Quod Thrax, nec cupidus flecteret ora retro,
 Incipiantque homines iam passim carmine fata
 Flectere, si tantum carmina posse sciant.
 Hic certe faceret nigrisque emergeret umbris,
 60 Sed non umbrarum percolit ille domos;
 Nec mors hunc rapuit, longis sed fessus ab annis
 Linqere iamque diu membra caduca petens
 Deseruit corpus, vitam quoque vita secuta
 Certior hoc dedit, ut non queat inde mori;
 65 Et cupide reputans cognati gaudia coeli,
 Hauserat unde novo spiritus ore diem,
 Astra pius tenet, astra videns temnensque sepulcrum
 Pervolat omne, patet qua via laxa poli,
 Quantus ad occasum se porrigit orbis ab ortu
 70 Quantaue Phoebeis orbita fervet equis,

1) coni. cantu.

- Et quae discurrent magno vaga sidera mundo,
 Quae rectum peragunt, quaeve retorta gradum.
 Quod spatium terris, Nereus quibus aestuet undis,
 Quaeque colant gentes aspera plana, mare,
 75 Et mores varios, variae commercia linguae,
 Artes sive animos, corpora sive iuvant,
 Quid valeant gemmae, quid carmina sacra, quid herbae,
 Imo quaeque sinu terra metalla premit,
 Omnia nunc novit, videt omnia, nec latet illum
 80 Quidquid habet coelum, tartara quidquid habent;
 Et gaudens laeta atque aeterna sorte beatus
 Numina summa videt triplicis usque dei.
 I mortem accusa nunc fataque tristia desle,
 Mortuus hic forte¹⁾ sit, quis, rogo, vivus erit?
 85 Tunc hominem vitamque putas hoc corpore cludi,
 Est homo mens, manet haec, vitamque nempe manet.
 Spiritus a superis vester venit, inde solutus
 Morte carens abit hinc ad superosque redit.
 Rettulit ad superos certe hunc pietasque fidesque
 90 Ductaque legitimis vita peracta viis.
 Ergo videns vestras ridet damnatque querelas
 Mauricius, cernens ad quid et unde venit.
 Non illum curae, non spes, dolor iraque torquent,
 Quae miseris cruciant pectora vestra modis.
 95 Liber et erumpens fragili de carcere tandem
 Vivit adhuc, fuerant vitaque morsque simul.
 Nunc tantum vivit, procul et mors aethere mansit,
 Quod moritur, terrae est reddita terra suae.
 Anne doles, oculis quod sit sublatus, et illum
 100 Non cernens etiam luce carere putas?
 Certe spirat adhuc, non hunc obliviam seri
 Temporis a cuncta posteritate manent;
 Spirat et ingenii laus sudatique labores;
 Vis istud doceam me ratione loqui?
 105 En age sume manu quod condidit et lege carmen;
 Voce sua loqueris, plus valet illa tua.
 Huius et ingenio, simul huius es ore disertus,
 Vivit, nempe dabit hic, quod potes, illa loqui²⁾.
 Docta nec immerito vigilataque carmina sperent³⁾
 110 Perpetuum nullo fine premente decus.
- Dilabuntur opes, vires franguntur, et annis
 Et morbo formae gratia carpta perit.
 Viribus humanis et quae surguntque vigentque
 Viribus humanis debilitata ruunt;
 115 Mentibus at vatum deus insidet; ut caret ille
 Morte, caret vatum sic quoque morte labor.
 Quid quod in exemplum virtutum gloria cedet,
 Et poterit nullo tempore fama mori?
 Natis quisque suis vellent monstrasse priores
 120 Talem, quo cuperent teste probanda sequi.
 Regula talis erit, qua discant recta minores,
 Segnes quaque boni probra decusque ferant.
 Quem memorans olim nato pater, hunc mihi, dicet,
 Nosse dedit genitor, quem pater ante sibi,
 125 Ut sequereturque iubens, erit hic tibi doctor honesti,
 Inquit, et hunc studiis exprime quaeque bonis,
 Qui claras annis hausit iuvenilibus artes,
 Musarum cupido pectore sacra colens,
 Quidquid et est studiis quod Musas auget et ornat
 130 Moribus et mentem quod redimere queat,
 Praesentes quod ament, quod postera secula loquentur,
 Sive⁴⁾ animi, manuum sive erat illud opus,
 Complexus vigili meditatatusque omnia cura est,
 Sterneret ut laudi nobile promptus iter;
 135 Utque solent, animos quorum fortuna tumentes
 Praegravat aurato⁵⁾ flumine plena ruens,
 Non hunc divitiae generis, non inclitus ordo,
 Lubrica non vitae tempora prima movent,
 Otia pigra sequi segnive fatiscere luxu
 140 Victaque deliciis turpibus ora dare;
 Sed petit intenta cura meliora colitque
 Recta, licet dura sint adeunda via.
 Ergo ubi sacra quibus se prima dicaverat actas
 Rite colens summo solverat illa deo,
 145 Inde vices studiis lucis tribuebat et umbrae
 Non sterilem quemquam passus abire diem,
 Scriptaque iam veterum tractabat clara virorum
 Quos vetat ingeniumque eloquiumque mori,
 Libera iam numeris, docta iam lege revincta
 150 Post quoque venturis verba legenda dabat.

1) So vielleicht für forti.

2) So steht der Vers in der Ausgabe von Alardus, Colon. ap. Gymnic. 1539; offenbar falsch.

3) coni. spirant.

4) So vielleicht für sic, wie bei Alardus steht.

5) So vielleicht für arato.

- Hinc ubi se virtus ad res vertebat agendas
 Facta ferens docuit¹⁾ quae facienda forent.
 Est et adhortandis quae vis firmissima, cunctos
 Exemplo fugiant quid cupiantve monet;
 155 Inque dies sese certabat vincere semper,
 Parta novis augens accumulansque bonis.
 Non fuit hoc animus fervens annique calentes,
 Sed mores vitae perpetuusque tenor.
 Sic puer inceptum quantum est coepisse minores,
 160 Fractaque sic didicit tempora ferre senex;
 Ne suprema quidem lux hunc deprendit inertem,
 Doctior optabat dum meliorque mori.
 Nec latuit probitas; pretium titulosque recepit
 Quos tribuit meritis inclita Roma suis,
 165 Summa datura quidem, sed et est haec laus sua, summa
 Tollere quum posset, parva putare satis.
 Hunc age, nate, sequens tibi pectore fige tenaci,
 Ferre gradum cupiens quo prior ille tulit.
 Sic olim puero senior, sic ibit ad omnes,
 170 Perque manus vivus posteritatis aget.
 Reddi ergo terris hunc non pete, non petit ipse,
 Et tibi si detur, saevius hoste nocet.
 Certus habet coelum, cupidi quo tendimus omnes,
 Quod nos sollicitos nocte dieque tenet.
 175 Morte doles, magis hoc quod sit lactabere felix,

1) So wahrscheinlich für docui.

- Felicem gaudes, parcius ergo dole
 Non amor aut pietas crit hoc; iniuria summa est,
 Illi si quum sint omnia laeta doles.
 Terge genas igitur, lacrimas et siste cadentes
 180 Invidiaque premens desine fata queri.
 Ille quidem salvus manet aeternumque manebit,
 Et meliore loco iam meliorque manet.
 Tu tamen humanis indulge sensibus atque
 Laudis et officii pars tibi nulla vacet,
 185 Et memori semper carum fer pectore nomen;
 Hoc tibi nox referat, hoc referatque dies,
 Floribus et tumulum spargas lauroque coronas
 Perpetuisque rosis ossa precare cubent,
 Nescius ac ne quis sacra calcet busta viator,
 190 Hoc breve fac carmen saxa notata ferant:
 Epitaphium Mauricii
 a Rodolpho Agricola editum
 Ecce Spogelbergi Comes ordine clausus avorum
 Mauricius, pollens moribus, ore, fide:
 Embrica praeposito, quo laeta Colonia fratre,
 Templo, Petre, tuo sacra colente fuit.
 195 Condidit hic corpus studiis senioque solutum,
 Laus, decus ingenii, gloria, fama manent.
 Pectoribus vivent haec doctis, vivat ut astris
 Mens sacra, funde deo qui legis ista preces.